

085

083

089

079

094

074

134

034

184

584

Ende

Anfang

74

poribus, quibus vel sol vel luna eclipsantur: aestimant enim, ut imprudentes, sidera animata fore et passionibus affici et peregrinis immutationibus subiri. Singulariter tamen lunam honorant ejusque simulacrum super omnes moscheas ponunt, non rotundam, ut plena luce appareat, sed cornutam, et pro majori parte eclipsatam. Credo, quod hoc acceperint a cultu Diana, quae luna esse dicebatur, in cuius templis lunae signum ponebatur, et culminibus tectorum, sicut in moscheis. Vel ex eo acceperunt, quia in ecclesiis Christianorum gallus est extento collo et cauda, in formam quasi mediae lunae eversae; converterunt gallum in lunam, et illa est quasi principalis causa.

Cum autem dies illuxisset, venerunt ad nos quidam Christiani dicentes, quod naves Alexandrinae jam onerarentur, et citius essent recessurae. Hoc cum audivissemus, statim Tanguardinum accessivimus eumque rogavimus, ut citius nos duceret Alexandriam, antequam naves Venetorum inde abirent, quia, si eas negligeremus, hiemare in Alexandria oporteret, quod nobis molestissimum fuisset, et in corporibus et animabus et rebus nocivum. Ad hoc respondit Tanguardinus: educam, inquit, vos, quo vultis, non tamen consulo, ut in Alexandriam eatis sine littera testimoniali et promotoria a domino Soldano habita. Si enim veneritis Alexandriam sine littera, mox in civitatis porta usque ad pellem nudabimini, et omnia vestra perscrutabuntur usque ad intima, ut nihil importetis, de quo thelonium non reddatis. Si autem litteram habueritis, libros vos intromittent. Hoc auditio petivimus, quatenus de littera nobis provideret ex cancellaria Soldani. Hoc autem consilium dedit nobis vir ille fallax, ut pecuniis nos spoliaret, et non ut nostrae utilitati consuleret, quia ad nihilum littera nobis utilis fuit, sicut patebit. Decima septima die inquietam noctem habuimus etiam post cessationem Sarracenorum a suis nocturnis insolentiis, quas faciunt in suo jejunio, ut saepe praefatus sum. Silentibus enim paganis bubo quidam advolavit et ex opposito camerae nostrae sedens bubilare coepit voce plena, et non modicum terrorem nobis intulit. Licet enim, ut Christianum decet, ad auguria non attenderemus, ex natura tamen homo terretur nocte audiens garritus avium, et praecipue buborum, cujus bubilatio nocte hominibus adeo est odiosa, sicut ejus volatus volucribus in

